



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

SS. Pergentinus Et Laurentinus MM. 3. Iunii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

SS. PERGENTINUS ET LAURENTI-  
NUS MM. 3. Junii.

**N**on minùs sanctum quàm nobile par-  
fratrum PERGENTINUM & LAU-  
RENTINUM aspicias, quorum nomen  
Aretini cives ad Tiburtium pietatis ho-  
stem delaturi, hæc accusationis capita  
habuere; ludum literarium eos quotidie  
frequentare: rimari arcana Philosophiæ  
Christianæ; & jam privatim exercere  
magisterium ejusdem sectæ; id si publi-  
cè audeant, neminem fore, quem non  
eloquentiâ sint corrupturi. Tiburtius  
propriâ confessione convictos, invio-  
latos tamen abire passus est, tantò ne-  
quior, quantò blandior. Nihil deinde  
de more suo remittentes, cædi fustibus  
jussit, plagisque obsaturatos inediâ ple-  
cti. Tridui jejunio maceratis Angelus  
mensam struxit de cælesti penu cellaque;  
cujus delicias qui gustet, sentiat profe-  
ctò, obsonare famem tanti fuisse. Allap-  
sa simul cælo lux, & sponte laxatis car-  
ceris foribus, Christianis cum Pergen-  
tinâ sorore ad captivos via patuit: sed ii  
cæli nectare ebriis fugam suadere aggressi  
frustra fuerunt. Carnificum contra ad  
mörtem eos evocantium suavissimæ vo-  
ces visæ, quam priusquam oppeterent,  
faxeam Jovis statuam ardore precum  
suarum in modum ceræ coegerunt  
liquef-



liquefcere. Illufre miraculum, inquires; mirabile tamen: potes tu quoque Bacchum, Venerem, aliaque improbae mentis idola precibus extinguere. *Ex Surio.*

*Quaecumque vitia habemus, quotcumque peccata, tot recentes habemus Deos. Iratus sum; ira mihi Deus est. Vidi mulierem & concupiui; libido mihi Deus est. Unusquisque enim quod cupit & veneratur, hoc illi Deus est. S. Hieron. in pf. 108.*

S. GUALTERIUS C. 4. Iunii.

**D**Ubitabit aliquis GUALTERIUM mundi fidus dicere; cum humerum stellâ insignitus in lucem prodierit, divino munere parentibus concessus, Numini Basilicam invicem spondentibus. Gratiarum domicilium diceres, tanta erat oris venustas, tanta morum elegantia. Magnis pro eo studiis certamen est, caelo terraque tantum decus ad se rapientibus. Praefecti urbis filia oculos in eum coniecerat, optabatque sponsum, spe tantò certiore, quantò inter Romanas Nympha eminebat: & sanè, si quid mortale amandum fuerat, tulisset primas. Jam parentum vota consenserant, gratulabaturque pari, & pulcherrimo conjugio Romæ, cum GUALTERIUS generoso fastu conditionem aspernatus, negavit feminam ullam toto orbe dignam se marito: translatisque in caelum

Z de-